

Catholicorum quorundam  
in Polonia

*De*

RECONCILIATIONIS  
in Religione disfidentum  
impossibilitate Ju-  
dicia.

---

*ANNO*

M. DC. XLV.



Cartholicorum quorundam  
in Polonia

EX<sup>VI</sup>g<sup>s</sup>

RECONCILIATIONIS  
in Religione disidentium  
impossibilitate ju-  
dicia

---

ANNO  
M. DC. XLV.





Bjicis, Unde illa invitatio ad concilian-  
dam Religionem? Fallitur quisquis  
existimat Ecclesie Romanæ eam men-  
tem esse, ut Relligionis reconciliati-  
onem ineat. Nam apud se aliquos er-  
rores agnosceret, aut vobis aliquam  
hæresin indulgeret. Neutrum verò per principia  
Relligionis Catholicæ fieri potest. Ergo hoc saltem  
quæritur, ut ostendatur vobis, omnia quæ catho-  
lici credunt & docent, bene & sincerè intellecta, à  
vobis credi debere: aut si quædam ab ipso Redu-  
ctionis initio persuaderi vobis non possint, tamen  
ut id Catholici credant, vobis sub authoritatem  
unius capituli reductis, admitti posse.

Dices jam quædam conciliationis extare exem-  
pla, ut cum Græcis & Husitis, quædam inter ipsos  
Catholicos diversa, in sacris sentientes. Ad ea  
respondebo: hæc non per modum conciliationis  
facta, sed per modum partim privilegij, ut cum  
Græcis & Ruthenis, quod Mater Ecclesia licentiam  
quandam ipsorum infirmitati indulserit; partim  
interdicti, quod Theologos in quibusdam diversas  
opiniones foventes, de iisdem disputare prohibue-  
rit. De sua tamen veteri norma credendi &  
agendi, ne unguem quidem, recessit. Id quoq;  
largiri vobis poterit, ut Calicem, Cleri Conjugia  
&c. libera habeatis in cæteris Ecclesiâ inflexa ma-  
nente.

Sed me urgebis: ipsos Catholicos, tum ex re-  
gularibus, tum ex eminentioribus, utpote Cardi-  
nales, Episcopos, Sorbonam &c. ad talem concilia-  
tionem

tionem inclinare, quæ cum emendatione & reformatione, Ecclesiæ sic conjuncta. Dicam sunt istæ ideæ platoniciæ & castella in aère. Expediam te breviter.

Pone aut Catholicos in gratiam vestri, aut vos in gratiam nostri, omnia ea, quæ nos de Transubstantiatione, de Calice, de Cultu imaginum, de Connubio Cleri, de ciborum delectu, & alia plurima, dividunt, complanaturos: Impossibile tamen est, ut aut vestra aut nostra principia de his tribus articulis conveniant. 1. De regimine Ecclesiæ monarchico. 2. De solitariis misis pro vivis & defunctis. 3. De cultu crucis. B. Mariæ, & invocatione intercessioneq; Sanctorum. Si primus articulus moveretur, fieremus sicut Sodoma & Gomorha. Jam enim mundus isti, quam vos vocatis, servituti, adsuevit, ut insanire ipsum oporteat, si in contrarium labatur. Etiam si Papa aliquis tam stultò humilis esse vellet, ut se aliis submitteret, alius tamen Antipapa exurgeret, qui pristinum Ecclesiæ regimen vindicaret. Alter Articulus si convelleretur, quot sunt in Italia Sacerdotes, ut essent milites vel prædones. Credo in ipsa urbe Romana posse recenseri circiter 60000. sacerdotum, ex solis solitariis Misis viventium.

Quid putas in aliis urbibus? Quid in aliis Regnis? Citius arma sumerent, & cervicoes sibi abscindi, quam hæc mutari paterentur. Nec Sacerdotes tantum, sed universi seculares, qui pietate in suos mortuos tanguntur, idem facerent. Lutherus & Calvinus totum mundum concusserunt.

Quid



Quid non perturbarent tot hominum Myriades?  
De tertio Articulo idem prorsus dicendum. Quam-  
vis Papæ sibi longa serie succedentes, quævis con-  
cilia Multoties repetita vellent doctrinam istam de  
Cruce, de B. Maria de sanctis abolere; frustra nite-  
rentur. Habetis experimentum. Ecce Papa in-  
dulget Laicis in Regno Galliarum lectionem Bibliorum;  
& tamen vester Rivetus. Scribit præcipuos viros  
tam fervidi Zeli se ibi novisse, qui conscientiam su-  
am violari putarent, si Biblia tangerent. Videte  
domesticum exemplum Concessit Regno Poloniae  
Papa nuper defunctus, ad solennem Cleri postulatio-  
nem, ut sine respectu quorundam festorum, præser-  
tim tempore messis, agricolæ operas suas exerce-  
rent. Plebs rustica, imo & Nobilitas, spernit istam  
indulgentiam, & piaculi instar habet veterem ri-  
tum innovare. Impetret aliquis apud Papam, ut  
Carnium & lacticiniorum usus populo concedatur.  
Ille tamen scelere sese pollui credit, si cibos istos  
gustet. Si tanta in minutioribus rebus est veteris  
moris observantia, credisne absque furore catholi-  
cos laturos, ut ipsis solatia quæ ex hoc tertio Arti-  
culo hauriunt, adimerentur? Hunc paragraphum  
sic concludo: Cum vos Evangelici istos tres Arti-  
culos partim pro idololatricis, partim pro Anti-  
christianis habeatis, nos verò Catholici pro grandi  
& eximio pietatis Religionis & Ecclesiæ ministerio  
& thesauro, quomodo fiet, ut aut nos vobis aut  
vos nobis cedatis? Aut nisi alterutra pars cesserit,  
quomodo utraq; in eandem Ecclesiam & Religio-  
nem cõire poterit? Dicam audacter, sed verè:

Facilius Romanam Ecclesiam posse ferre desertio-  
nem sui à Regibus & Populis, quàm emendationem,  
impetrare à se ipsa Emendatio enim esset mors ipsi-  
us ; desertio verò vitam ipsi prorogat. Nunq; est  
emendata quamvis sæpius deserta, sed cum utriusq;  
gladij jus habeat, & nulli temporum præscriptioni  
subiaceat, non semel sese vindicavit & adhuc vindi-  
cat. Vides reductam ad obsequium Austriam, Bo-  
hemiam Moraviam, & magna ex parte illam fe-  
roce Germaniam Galliam, Poloniam Hungariam,  
præparatamq; Angliam. Idem de aliis Regnis spe-  
randum. Deniq; mihi objicies. Cur igitur ista  
obstacula non fuerunt in Synodo Varsaviensi prævi-  
sa? fuerunt prævisa à multis, sed etiam à multis vel  
contemta vel non animadverta. Primus fuit Dn.  
Episcopus Culmensis qui à Nigrino & Jesuitis indu-  
ctus illusterrimum Gnesnensem in suam sententiam  
pertraxit, iste autoritate sua Metropolitana pluri-  
mos; erant tamen nonnulli, qui capita movebant,  
& irritum exitum ominabantur: præsertim, cum,  
nulla alia fundamenta ab inventoribus hujus propo-  
siti ostenderentur, nisi spes, de quibusdam vestra-  
rium concepta. Nunc vicio vertunt Dn. Episcopo  
Culmensi, quod telam est exorsus, quæ necessario  
infumum abibit. Nam Sanctissimus non patietur  
sibi imponi. Quis enim unquam audivit aut le-  
git, tantum negotium uni præfidi Episcopo & 12.  
Theologis, absq; aliis Episcopis & quidem sine  
assistencia Nunciij Apostolici commissum esse?  
Postquam tibi de Synodo Varsaviensi respondi:  
Quæ-



Quæram ex te. Annon eadem obstacula vos in  
Synodo vestra Ortenſi prævidere debueritis? Cur  
igitur in colloquium conſenſiſtis? Dices: vos tan-  
quam provocatos alit ex facere non potuiſſe, ne cau-  
ſam veſtram prodere videremini. Rectè, ſed in-  
quam ſpem id feciſtis, cum eaſdem impoſſibilitates  
videretis? fortaſſis in eam, ut pro veſtris dogmati-  
bus pugnando, catholicos errorum convinceretis  
& converteretis, fallimini. Etiamſi vel ipſemet-  
Præſes, vel 12. Theologi, veſtris rationibus cape-  
rentur (quod tamen incredibile eſt) tamen Catho-  
lici non penderent ab exitu iſtius colloquij, ſed  
magis reſpicerent Eccleſiam, quæ cum ſuo capi-  
te errare non poterit; Concilia, miracula, & ve-  
ruſtatem, contrà vos verò & cauſam veſtram acu-  
tiora odia in pectoribus demum referrent, velut  
fit in illis gladiatoriiſ certaminibus, cum poten-  
tior ab infirmiore dolore virtuteve, enorme ali-  
quod vulnus reportat, & ultionem cogitat. Et  
crede mihi, proſiſtitum hoc Synodi Varſavienſis,  
apud novum Pontificem circa præſtationem obe-  
dientiæ, tam Regi, quam Clero operoſè excuſan-  
dum erit.

*Sed*

Sed hæc omnia dicit ut homo: Deus autem  
est qui etiam ex noxiis & venenatis consiliis &  
minis hominum gloriam suam & hominum salutem  
operari potest. Interim prævisa telu non flocci  
habenda, & Rex Regum eo ardentius rogan-  
dus ut Cor Regis Dn. nostri Clementissimi  
dirigat, & a malis custo-  
diat &c.

OS

